


1224
1776 A 14
1776 16

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS
EIVS DEMQVE
ORDINARIVS ET SENIOR
ERNESTVS MARTINVS
CHLADENIUS D

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CON
SILIIS AVLAE ET IVSTITIAE DECRETALIVM PROFESSOR
PVBLICVS CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CVRIAEC
PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D



DE
IVRE APPLICATIONIS

NOBILE, imo pene dicam nobilissimum in omni re iudicaria ueterum, quam late illa pateat, argumentum est formula **CENTVM VIRALIS IUDICII**, quo nescias an Romano nomine dignius quicquam aut illustrius instituerint Romuli nepotes. Siue locum iudicii, siue iudicantium confessum, siue causas in eo tractatas agitatae, siue ordinem in agendis decidendisque causis spectes, singula dignitatem maiestatemque quandam spirant. Videas iudicii huius domicilium, splendidissimam Basilicam, uti substructionum molibus et reliqua fabrica superbientem, ita frequentissimi coetus capacem. Videas in bipartente Basilicae aula centum et quinque, imo post Augusti aetatem centum et octoginta viros, ex flore nobilitatis electos, tum eloquentia, tum iuris scientia insignes, omnique re, quae iudicem instruit, instructissimos, hisque praesidentem Praetorem, in excenso et spatioso tribunal, quod densa

densa circumstantium corona ambit, in numerosis subsellis sedentes, decora quadam uultuum grauitate, aduocationibus partium intentos. Audias grauissima iuris capita, in maximis utplurimum causis, non sine magna tum iudicantium, tum reliquorum expectatione disceptari a patronis, disciplina iuris eruditissimis, ingenio et prudentia acutissimis, maxime uero oratione et eloquii nitore praestantibus, **TULLIIS, SCAEVOLIS, BRYTIS, COELLIIS, CALVIS,** et quae sunt reliqua eorum nomina, quorum uoce hoc uniuersi populi Romani consilium crebrius personuisse accepimus.

SCILICET illustri hoc spe~~et~~aculo oculis auribusque frui Romanis contigit. Nos uero, quibus eius usuram tot seculorum intercapedo negat, tantum eius uestigiis eo nauius insistimus, quo nobiliorem antiquitatis partem illa absolutunt. Felici sane studio in legendis his uestigiis uersatus est **SIBRANDVS TETARDVS SICCAMA**, cuius libellus de centumuirali iudicio, uti styli amoenitate omnibus commendabilem se praestat, ita in recensenda iudicij huius formula non minus est accuratus, quam copiosus. Integrum tamen campum emensus non est auctor, ceteroquin solertissimus. Etenim in explicandis et illustrandis causis centumuiralibus adeo parcus est, ut aliis has partes reliquisse uideatur. Mihi igitur iam ante septem lustra

lustra aliquam huius campi, utique spatioſi, partem eme-
tiendam sumſi et in exponenda GENTILITATE ROMA-
NA, quae inter causas centumuirales praecipuum fere lo-
cum tenet ^a, operam ſtudiumque collocaui ^b, non ſine
publico, quod gratus recordor, literariae ciuitatis affenſu.
Iam ad easdem delicias redeo et aliam, non minus nobil-
lem, cauſarum centumuiralium partem mihi aſſero, IVS
APPLICATIONIS. Evidem non diffiteor, perquam
difficili argumento me ſtylum admouere, cum ipſe TVL-
LIVS ^c, ſuo aeuo ius Applicationis obſcurum et ignotum
fuiffe teſtetur ^d. Hac ipſa vero difficultate, quanto ma-
iorem eſſe video, tanto magis exacuor, ut, niſi uinci illa
poſſit, in uincenda tamen aliquantum elaborem.

I N id quidem conſpirant plerorumque populorum,
quos ſeculis remotioribus accepimus floruiſſe, leges, ut

a 3

diſerte

a) CICERO de Orat. Lib. I. cap. 38.

*b) Liber de GENTILITATE VETERVM ROMANORVM prodiit Lipsiae
anno 1742.*

c) CICERO de Orat. Lib. I. cap. 39.

*d) Hoc CICERONIS teſtimonio deceptus FRANCISCUS CONNANVS
in Comment. Iur. Civ. Lib. 2, cap. 7. n. 2. ubi in IVS APPLICATIONIS in-
cidit, ab eius illustratione plane abſinet. Audias, quo coiore. Quid ius,
inquit, ſi temporibus Ciceronis obſcurum, uel ipſi Ciceroni, tanto uiro fuit, par-
eſt, ut nobis ignotetur, ſi id SINE VILLA EXPLANATIONE relinquamus.
Vox ſane indigna iureconsulto, ingenii ei eruditioſis praefidit instruō,
inque ornanda et amplificanda iuriſprudentia Romana occupato. His enim
elogiis CONNANVM ornant SCAEVOLA SAMMAR THANYS in Elogiis
Gallorum Sec. XVI. illuſtrium Elog. 20. pag. 43. et HVGO GROTIUS de Iure
belli et pacis Lib. 2. cap. 11. ſ. 1. n. 1.*

diserte statuant, quo loco in quaue ciuitate habendi sint aduenae, hospites, peregrini. Sed in definienda eorum conditione mire dissentient. Aliae peregrinum hominem a finibus ciuitatis arcent et omni uitae commercio ei interdicunt. Aliae peregrinitatem capitale crimen faciunt et aduenam uitae dispendio multant. Aliae hospitem admittunt, sed uix triduo quatriduoue inter indigenas uersantem eiiciunt. Aliae perpetuo quidem in ciuitate commorari peregrino permittunt, sed uectigali et tributo eum premunt ciuiumque iuribus indignum pronunciant. Aliae denique mitius. Peregrinae fauent uirtuti. Hospitem benigne haberi iubent et *ναυοξενίας* reis poenas minantur. Ciuium iure aliisque honoribus peregrinum, si qua modo uirtute eniteat, ornari aut patiuntur, aut iubent. Vitae bonorumque securitatem ei prospiciunt, cetera. Equidem nolo, quid singularum gentium mores legesque hanc in rem ferant, enarrare, quem laborem copiose iam executus est ALEXANDER ab ALEXANDRO^e. Trium tamen populorum instituta attingo, quae tanto uidentur notabiliora, quanto mitius et indulgentius cum peregrinis agunt. Primum locum genti EBRAEAE defero, sequentem GRAECIS, ROMANIS denique postremum.

EBRAEORVM respublica, uti ab ipso huius uniuersi conditore formatam se esse gloriatur, ita et hanc gloriam laudem-

^{e)} ALEXANDER AB ALEXANDRO *Dier. genial. Lib. 4. cap. 10.*

laudemque tuetur, quod tanto conditore dignis, id est
sapientissimis, legibus instruēta, munita, amplificata fuerit. Illustre omnique exceptione maius sapientiae argumentum praebent blanda illa placita, quae peregrinorum, inter Isacidas uersantium, iura et conditionem definit. Iterata adorandi ἀρχοντος uox est: aequo cum indigenis iure fruantur peregrini *f.* Sane huic placito satis praesidii inesse uidebatur ad collocandam in tuto rem peregrinorum. Eorundem tamen causam copiosius agere placuit sapientissimo nomothetae. Alio enim decreto cavit, ne dure quispiam illos tractaret *g.* Alio instituit, ut in dicendo iure aequae peregrini ac indigenae ratio haberetur; neque, si iusta peregrini causa, huius fraudi quid fieret, addito quidem anathemate, si quid secus *h.* Alio id egit, ut indigenarum animos accenderet ad amorem peregrinis exhibendum et, qui fructus amoris est, ad alimoniam iis erogandam *i.* Alio suos commonefecit, ut, peracta inesse et uindemia, spicilegium et racemationem permitterent peregrinis *k.* Singulis uero his decretis clausulam adiecit, pari, quo uiduae pupilliae censeantur, iure censendos esse peregrinos.

IAM

f) EXOD. XIII, 49. LEVIT. XXIV, 22. NUM. IX, 14.

g) EXOD. XXII, 21. et XXIII, 9. LEVIT. XIX, 33. 34.

h) DEUTERON. XXIV, 17. et XXVII, 19.

i) LEVIT. XIX, 34. DEUTERON. X, 18. 19.

k) DEUTERON. XXIV, 19. 20. 21.

IAM instituta GRAECORVM tango, qui, uti multa ex Ebraeorum scriptis et legibus hauserunt^l, ita in hac etiam parte Ebraeos mores imitati esse uidentur. LACONIBVS quidem recordor ξενηλασταν obiici, eosque passim διεργοζένες apud Comicos audire, ob ipsum erga peregrinos legum rigorem. Fuere tamen, qui populi causam egerunt, et probabili arguento euicerunt, non omnes peregrinos, sed eos saltem, a quorum barbaris moribus suae ciuitati metuendum esset, odio fuisse Laconibus, ceteros uero, si qua uirtute, si quo merito commendarentur, mitius habitos. Si de ATHENIENSIBVS quaeras, horum instituta peregrinitati quam maxime fauebant. Ut enim publice credebatur, sumnum esse nefas, uiolare peregrinum, ita lege publica cautum fuit, ne qua iniuria peregrini afficerentur. Patuit illis παυδοχεῖον publicum, imo etiam patuere domus ciuium opulentiorum, qui frequenter eos in clientelam et protectionem recipiebant, inde dicti προσάται^m, et ne deesset magistratus, qui peregrinis ius diceret, hoc officium datum fuit Polemarcho, qui, quod HARPOCRATION commemoratⁿ, erat magistratus, qui

l) Rerum argumentis hoc probant HERMANNVS WITSIVS in *Aegypt.*
Lib. 3, cap. 13, et HVGO GROTIUS de *Veritate Relig. Christi*. Lib. 1, §. 15.

m) ADRIANVS TURNEBVS *Aduersar.* Lib. 24, c. 32. CHRISTIANVS BRV-
NINGVS *Antiqu.* Graec. cap. 14, §. 9.

n) HARPOCRATION in Lex. Voce: πολέμαρχος.

qui non ciuibus, sed peregrinis ius dixit, horumque lites introduxit, et ad quem confugere poterant, qui auxilio indigebant.

R E D E O ad Romanos. Certe apud hos fauor peregrinitatis non semper sibi constituit. Prioribus quidem seculis, ex quo condita fuit Roma, uia ad honores peregrinis patuit, quod argumentum persequitur Canuleius in oratione aduersus consules apud **L I V I V M P**, ubi pronunciat, non modo in regum numero fuisse peregrinos, sed etiam, ne regibus quidem exactis, clausam fuisse peregrinae uirtuti urbem. Sed succedens tempus nunc hanc, nunc illam uicissitudinem attulit. Quid est, quod XII. Tabularum conditores in Tabula III. grauiter edicant: *Aduersus HOSTEM aeterna au&oritas esto?* nimirum ut peregrini ^a a iure usucapiendi excluderentur, et contra eos perpetua actio daretur. Quid est, quod Romani, Graecorum exemplo, pro conuicio reputauerint, feminam honestam uocari peregrinam? nempe peregrinae uocabulo denotabant ut-

b

pluri-

o) Comparationem POLEMARCHI apud Athenienses et PRAETORIS PEREGRINI apud Romanos exsequitur **10.** SELDENVS de *Synedriis Veterum Ebraeorum* Lib. 2. cap. 3. Sec. 3. itemque FRANCISCVS CAROLVS CONRADI Lib. I. Parerg. I. de *Praetore peregrino*, §. 2.

p) **L I V I V S** Lib. IV. cap. 3.

q) **H O S T I S** enim quondam pro **P E R E G R I N O** dicebatur, cuius rei testis est CICERO de *Offic.* Lib. I. cap. 12. uerbis: **H O S T I S** apud maiores nostros dicebatur, quem nunc dicimus **P E R E G R I N U M**.



plurimum meretricem ⁊. Quid est, quod peregrini, etiam si ciuitate donati essent, eaque re peregrinitatis nota plane extincta uideretur, tamen interdum criminis *zervias* accusati et, instituto de eorum meritis iudicio, si haec pusilla reperirentur, reiecti fuerint ⁊. Quid etiam, quod A. V. C. DCXVII. auctore Penno, et A. V. C. DCLXXXVIII. Papio auctore, omnes peregrini urbe excedere iuberentur, quod omnino inhumanum fuisse, *TVLLIVS* iudicat ⁊. Quid est, quod Romani constituerint PRINCIPLEM PEREGRINORVM, qui potestatem in peregrinos multae dicenda, pignoris capiendi, et fustibus caedendi habuisse creditur ⁊. Quid est denique, ne plura commemorem, quod peregrinis negatum fuerit, hereditatem ciuiis Romani adire ⁊. Videlicet ex his intelligitur, utique duram fuisse peregrinorum conditionem. Sed sicut saltem per interualla. Et enim inter medios hos casus subinde sumimam humanitatem Romanorum

r) Observat hoc ANNA DACIERIA ad TERENTII Andr. Act. I. Sc. I. v. 118. cum ait: *Les Grecs et les Latins disoient une ETRANGERÉ pour une COVTTISANE.* Conf. 10. FRID. CHRISTII Noët. Acad. Spec. IV. Obs. 22. quae tota in illustrando hoc argumento occupatur.

s) Conf. PETRVS AERODIVS Rer. Iudicat. Lib. X. Tit. XI. cap. 1.

t) CICERO de Offic. Lib. III. cap. 11. et in Orat. de Lege Agraria cap. 4.

u) IACOBVS GVTHERIVS de iure manuum Lib. I. cap. 8. pag. 51 sequ. duas Inscriptiones, in quibus PRINCIPIS PEREGRINORVM mentio fit, exhibet et, quae munia eius fuisse videantur, exponit.

w) Vid. NICOLAVS GRYCHIVS de Comitiis Rom. Lib. I. cap. 3.

rum experti sunt. Sane humanitatis argumentum est, quod multis peregrinis nunc ius connubii, nunc ius patriae potestatis, nunc ius testamenti factionis, subinde etiam totum ius ciuitatis, uel beneficio populi, uel Senatus auctoritate, uel Principis clementia fuerit concessum ^x. Etiam in eo Romani humanitatis rationem secuti sunt, quod in iure reddendo peregrinos ciuibus aequauerint et, praeter urbanum Praetorem, alium Praetorem constituerint, qui tum inter ipsos peregrinos, tum inter ciues et peregrinos ius diceret, et qui ab ipsa iurisdictione sua PRAETOR PEREGRINVS dicebatur ^y. Inter reliqua humanitatis argumenta praeferunt hoc eminet, quod tum PEREGRINIS data facultas, sibi diligendi aliquem ex ciuibus Romanis, quem TANQVAM PATRONVM adoptarent, tum CI-
VIBVS datum ius, peregrinos, qui se fidei et tutelae eorum dedere uellent, recipiendi, TANQVAM CLIEN-
TES, ex quo ipso instituto descendit IUS APPLICA-
TIONIS, quod exponere constitui.

Vt frequenter hoc usurpabant Romani, APPLICA-
RE SE ad aliquem ^z, APPLICARE SE ad alicuius fami-

b 2

liari-

^x) IO. GOTTL. HEINECCIVS *Antiqu Rom. Lib I in Append.* §.34 et 138

^y) FRANC. CAROLVS CONRADI *Lib. I. Parerg. I. de Praetore peregrino* §. 3. et 9. et HENR. MYLIVS *in DISS. de Praetore peregrino* §. 4.

^z) Usurpat TERENTIVS *in Andr. V. 4. et in Heautont. II. 4.13.* itemque CICERO *in Bruto cap. 91.*



liaritatem ^a, APPLICARE SE ad amicitiam fidemque alterius ^b, ita conueniens esse putabant, ut ipse actus, quo peregrinus se fidei et clientelae ciuiis Romani tradebat et hic illum recipiebat, APPLICATIO uocaretur, cuius indolem IOANNES PETRVS DE LVDEWIG ita exprimit ^c: *APPLICATIO erat suscep̄tio patrocinii ciuiis Romani et clientelae sponſio.* Hic quidem nexus PER APPLICATIONEM contractus non inanis erat, sed VTRINQVE iura quaedam et commoda producebat, quae si comprehendas, habes IVS APPLICATIONIS.

DIXI: utrinque, scilicet ut indicem, hunc nexum non modo peregrino, SE APPLICANTI ad ciuem Romanum, sed etiam illi, qui patrocinium susceperat, fuisse fructuosum ^d. Iste nimirum, facta APPLICATIONE, licet per hanc libertas eius quodammodo circumscriberetur, ex hac tamen mutatione insignem hunc fructum cepit, quod nunc patroni protectione et tutela munitus, non modo

^{a)} CICERO pro Cluentio cap. 16. et 24.

^{b)} CICERO Verrin. I. cap. 1.

^{c)} IO. PETR. DE LVDEWIG in Diff. de Peregrinitate, Wildfangiatu et Albino Cap. VI. §. 5. n. 5.

^{d)} Ad hunc applicationis effectum alludere uidetur TERENTIVS in Heauton. II. 4. 13. cum ait: *Hi se ad nos APPLICANT. Hoc beneficio VTRINQVE ab VTRISQUE deuiniciunt.*

modo ab iniuria ciuium tutus fieret ^e, sed etiam plerorumque emolumentorum, quibus clientes Romani fruebantur, capax redderetur. Hinc probabilis est sententia PHILIPPI BROIDAEI ^f, antiquissimum IVS APPLICATONIS non alienum uideri a IVRE CLIENTELARI. Praecipue uero is, cui patronus, qui dignitate sua, qui Gentis praerogativa, qui agnatorum et gentilium numero, qui, si diuersam aetatem spe^ctes, uel populi, uel principis amore, aliis erat potentior, per APPLICATIONEM obtingebat, spem capere poterat, fore, ut quam proxime, suffragante patrono, aut pleno ciuitatis iure, aut eius parte, donaretur, eaque re peregrinitatis nota uel in totum, uel in tantum tolleretur, et dubitandum non est, peregrinos, nisi plerosque, multos tamen, quibus ciuitas data est, suffragationi Patronorum hoc beneficium debuisse. Si exemplum suffragationis poscas, dabit SVETONIVS. Hoc teste ^g, ab Augusto, qui alias ciuitatem Romanam, quia populum ab omni colluione peregrini sanguinis incorruptum seruare magni existimabat, parcissime dedit, Ti-

b 3

berius

e) Hunc praeferunt in finem peregrinos se ad aliquem ex ciuibus applicuisse, iudicat IO. PETRVS DE LVDEWIG loc. cit. ubi sit: In APPLICATIONIS NEXV maluerunt esse peregrini Romae, quam frui libertate et exponi CIVIVM IN ALIENIGENAS INSOLENIAE.

f) PHIL. BROIDAEVS in Coroll. I. ad FRANC. FOLLETI Historiam Fori Rom. Lib. II. cap. 10. pag 169.

g) SVETONIVS in Vita Augusti cap. 40.



berius illam PRO GRAECO quodam petiit et, ut intelligatur, inter Graecum illum et Tiberium substitisse NE-XVM APPLICATIONIS, SVETONIVS commemo-
rat, Tiberium petiisse pro CLIENTE Graeco. Plinium etiam Medici sui, Posthumi Marini, propinquis, itemque aliis peregrinis, ciuitatem Romanam ab Imperatore Traiano petiisse, testantur eius epistolae ^{h).} An fallar, si coniiciam, Posthumii Marini familiam et reliquos peregrinos, quorum causam Plinius egit, APPLICANDO SE ad Plinium, eius patrocinium et commendationem meruisse?

PROXIMVM est, ut dispiciamus, quid iuris, contracto APPLICATIONIS VINCVLO, transferit in patronum. Hoc quidem per se patet, ex sponsione clientelae nouum clientem obligatum fuisse ad praestandam ei reuerentiam, ad obsequium et quae reliqua clientum officia. Sed hoc singulare est, quod patrono datum ius succedendi in bona clientis peregrini, intestato mortui. Quamuis enim, Caducariae legis auctoritate, bona a peregrinis reléta, cedere deberent uel reipublicae aerario, uel principis fisco, tamen ob insignem FAVOREM AP-PLICATIONIS excepta erat hereditas peregrini, qui se in clientelam ciuis Romani dederat. Haec enim nec reipublicae aerario, nec fisco principis, sed patrono cede-
bat,

^{h)} PLINIUS Lib. X. Epist. 4. et 6.

bat, tanquam PRAEMIVM SVSCEPTI PATROCINII.
 Hoc uero intelligendum est de facultatibus, quas cliens
 peregrinus ROMAE reliquerat, non uero de bonis reli-
 ctis IN PATRIA, qua erat oriundus. Haec enim ce-
 debant propinquis eius in patria adhuc degentibusⁱ, ni-
 si forte defunctus de iis secundum leges et consuetudi-
 nem patriae suae testatus esset, quod ipsi permisum fuisse
 docet SCHILTERVS^k. Si uero de iure successionis,
 PER APPLICATIONEM quaesito, controuersia mo-
 ueretur, quae non, nisi iudicis auctoritate, dirimi posset,
 disceptationem ad IVDICIVM CENTVMVIRALE per-
 tinuisse, intelligitur ex loco CICERONIS^l: *Quid quod*
item in centumirali iudicio certatum esse accepimus? Qui Ro-
mam in exilium uenisset, cui Romae exulare ius esset, si se AD
ALIQVEM QVASI PATRONVM APPLICAVISSET
intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa IUS APPLI-
CATIONIS, obscurum sane et ignorantum, PATEFACTVM
in iudicio atque ILLVSTRATVM est a patrono? Hunc
 quidem locum, qui uere cardinalis est in doctrina de IU-
 RE APPLICATIONIS, quodammodo illustrat supra
 laudatus SICCAMA^m, cum statum causae, in iudicio
 centum-

i) Consentit IO. PETRVS DE LVEDWIG loc. cit. § 4. et 5.

k) IO. SCHILTERVS in Diff. de Iure Peregrinorum §. 21. in eius Exerci-
 tationibus ad Pandectas pag. 157.

l) CICERO de Orat. Lib I. cap. 39.

m) SIBR. TET. SICCAMA de Iudicio centumirali Cap 8.

centumuiali agitatae, sic format: *Petronius Capua Romam in exilium missus uenerat, deditque se in patrocinium Cn. Pompeii. Romae mortuus est intestato. Agnati proximi dixerant, se Petronii heredes esse ab intestato, tanquam agnati. Pompeius hereditatem Petronii, tanquam clientis et liberti, sibi vindicavit.* Mox addit, quaestionem ab utraque parte disceptatam hanc fuisse: *An, qui alibi in exilium missus et se ad aliquem quasi patronum applicans, hereditatem suam ab intestato deferat patrono suo IVRE APPLICATIONIS, an agnatis proximis?* Velle, ut addidisset, quid centumuiri in hac causa decreuerint. Sed hoc coniectura assequi non potuit SICCAMA, nec poterit quisquam. An uero putas, facilem esse coniecturam, quibus praesertim argumentis utraque pars in hoc iudicio usa fuerit, ut suae causae praesidium afferret? Sane putat PETRVS AERODIVS, qui, ut CICERONIS loco lucem affundat, satis ingeniose colligit argumenta, tum quae causam AGNATORVM, tum etiam quae causam PATRONI corroborare uideantur, eademque proponit eo styli habitu, ut crederes, AERODIVM disceptationi interfuisse et utriusque oratoris eloquium auribus exceperisse. Plane confido, Lectori non ingratum fore, si recenseam integrum locum, quo ad explanandum et illustrandum IVS APPLICATIONIS nihil est accommodatus. *Qui Romam, inquit AERODIVS* „
in

n) PETRVS AERODIVS *Rer. Iudicat. Lib. 5. Tit. 13, cap. 2.*

in exilium uenerat, cui Romae exulare ius esset, (nam damnato
 verum capitalium non licebat) is se ad aliquem quasi patronum
APPLICAVIT, deinde mortuus est intestato. Apud Centumui-
 ros lis de hereditate. Petebant AGNATI, Lege XII. Tabularum:
PATRONVS iure APPLICATIONIS. PRO AGNATIS DI-
 CEBATVR: quae a genere, a ciuitate, a rerum natura tribuun-
 tur, exuli manere incolumia. Iraque et fratres fratribus esse legitimi-
 mos heredes et agnatorum tutelas hereditatesque babere. Si quem
 defunctus comiter obseruasset: si cui, ut inquilini Athenis, se ueluti
 in clientelam dedisset, habuisset pro patrono: non patronum pro-
 pterea fuisse. Mutua ista bencvolentia parari laudem, non pecu-
 niam. Neque pro cliente, neque pro liberto eum, de cuius successio-
 ne agitur, censeri posse. Non esse ab aduersario manumissum: et iu-
 ra clientelae uersari inter ciues, non cum hostibus, non cum peregrini-
 nis, ut antiqui loquebantur. Sed etiæ **APPLICATIO ISTA** clien-
 telae posset comparari, patronum clienti non succedere, imo turpe
 uisum esse, patronum quicquam pecuniariae opis expectare a cliente.
PRO PATRONO: *Ius APPLICATIONIS* reuera aequiparari
iuri patronatus, esse enim huiusmodi, ut qui, tanquam naui, ita ci-
 uitate eius, se potentiori deuouerit, huic liberti loco sit. Ver-
 bum **APPLICANDI** hoc continere, ut, qui sive nominatim, ut pro
 liberto haberetur, sive pure se alteri adiunxerit, dederit, alias omnes
 pro derelicto habeat, et se et quasi libertatem fidei huius atque ar-
 bitrio commendet. Esse ueluti quoddam matrimonii uinculum. Vi-
 rum viro ita se applicare, ut mulierem marito, qui propterea

uxori succedebat. His conditionibus defunctum recepisse, fouisse, habuisse pro suo. Merito igitur, quamquam obscuro et ignoto, at-tamen CERTO et VETVSTO IVRE, bona exulis ad se rediisse. Beneficium hereditatis filio dari, patrono reddi. Cur, ut adoptio-ne iura patria effingimus, ita non APPLICATIONE iura pa-tronorum? Cur licebit iura naturalia imitari, ciuilia non licebit? Se-que quis ita religioni consecret, ut Iouem, ut Apollinem habeat beredem, Senatorem non habeat? Ad quos miseri, afflitti confu-gient, si haec compensatio honesti beneficii non placebit? Defun-ctum potuisse facere testamentum, potuisse babere beredem ex te-stamento, uerum de industria non fecisse, ne agnati, iure munici-pii, sed patronus sibi iure Quiritium succederet. An, qui prope ciuis Romanus erat, de patria cogitasset, quam amissit? de agna-tis, quos, SE ALTERI APPLICANDO, pronunciauit alienos? Ut denique significet, argumenta pro Patrono allegata pon-dere suo et robore praestare iis, quae pro agnatis dicta sunt, addit: Ergo PRO PATRONO censeo.

QVOD ad originem IVRIS APPLICATIONIS spe-
stat, non inanis est TVRNEBI^o coniectura, illud ortum
esse ab Atheniensibus, apud quos lege peregrinis neces-sitas

^{o)} ADR. TVRNEBVS Aduersar. Lib 24. cap 32.

p) Inter leges Atticas haec: Inquilinorum frugali unum de ciuib[us] patronum eli-gunt, recensetur in Collect[us] Leg. Attic. in CHRIST. GODOFR. HOFF-MANNI Hist. Iur. Vol. 2. Part. 1. pag. 86.

sitas imposta fuit, ut se ad ciuem aliquem applicarent, quod *νέμεται προσάτην* appellabant; hoc enim a peregrinis neglecto in iudicium uocabantur. Videlicet cum constet, Romanos non modo leges a Graecis petuisse, sed etiam alia Graecorum instituta imitatos fuisse, uerisimile omnino est, eosdem, Graecorum exemplo, peregrinis **BENEFICIUM APPLICATIONIS** induluisse idemque non quidem lege, sed **CONSVETVDINE** introductum fuisse. In hanc sententiam procluus est S. V. **IOANNES AVGUSTVS ERNESTI**, cum ait ^q: *Peregrini uel inquilini Athenis lege, ROMAE CONSVETVDINE, sibi deligebant aliquem, quem sibi adoptarent patronum, προσάτην, ad quem ita se habebant, ut clientes Romani.*

I AM, si reputes, quae sit indoles **IVRIS APPLICATIONIS**, facile assensum denegabis illis, qui hoc ius cum **IVRE ALBINAGII** comparandum esse docent. Docuerunt **IOANNES BODINVS^r** et **MARTINVS MAGERV^sA SCHOENBERG^t**. Sed fallere hanc doctrinam, monent **HERMANNVS KIRCHNERVS^r**, **GEORGIVS BEYE-**

^q) **IO. AVG. ERNESTI** in *Clan. Cicer. uoce: APPLICATIO.*

^r) **IO. BODINVS** de *Republica Lib. I. cap. 6. num. 62.*

^s) **MART. MAGERV^sA SCHOENBERG** in *Comm. de Aduocatia armata cap. 15. num. 135.*

^t) **HERM. KIRCHNERVS** de *Republ. Disp. 7. th. 2.*

RVS ^u et IVSTVS CHRISTOPHORVS DITHMARVS ^w.
 Tangit hanc controuersiam SAMVEL STRYKIVS ^x, cum
 BODINI sententiam KIRCHNERO displicere ait, sed, quid
 ipse sentiat, ne uerbulo quidem significat. Certe utrius-
 que iuris ratio plane est dispar. Quamuis utrumque agat
 de hereditate peregrini, tamen, si de reliquis IVRIS AP-
 PLICATIONIS partibus quaeras, nihil earum inuenies in
 IVRE ALBINAGII. Quae enim dicta sunt de nexu in-
 ter patronum et peregrinum, per APPLICATIONEM con-
 tracto, itemque de iuribus et commodis, quae tum pere-
 grino, tum patrono, ex hoc nexu competebant, ea pror-
 fusa aliena sunt a IVRE ALBINAGII. Praesertim uero
 dissimilitudo iuris utriusque inde cognoscitur, quod IVRE
 APPLICATIONIS hereditas peregrini cesserit PATRO-
 NO, excluso fisco, IVRE ALBINAGII uero hereditas cedat
 FISCO, excluso alio quoconque.

V T V T uero I V S A P P L I C A T I O N I S , quod ex-
 posui, sit pars iuris antiquissimi, illud tamen non prorsus
 antiquatum esse uidetur. Viget adhuc in Academiis quod-
 dam ius Applicationis. Respice ad florentissimos iuuenes,
 qui serio id agunt, ut ingenia uario literarum apparatu
 locupletent. Patriam, parentes et quicquid domi carum,
 sponte

^{u)} GEORG. DEYERVS in Delin. Iur. German Lib 2. cap 12. §. 4.

^{w)} IVST. CHRIST. DITHMARVS in Syll. Diff. acad. Diff. 10. pag. 161.

^{x)} SAM. STRYKIVS de Success. ab intestato Diff. I. cap. 4. §. 30.

sponte relinquunt et, quod Imperator FRIDERICVS I.
in laudem studiosae iuuentutis pronunciat^y, EX VLES
FIVNT AMORE SCIENTIAE. Cum academiam
accedunt, APPLICANT se ad publicos doctores eorum-
que fidei se tradunt et mox fructum APPLICATIO-
NIS capiunt, quod eos non modo blando CIVIVM no-
mine compellemus, sed etiam pari, atque indigenas, amo-
re complectamur iisque, quicquid eorum commoda pro-
mouere et ad futuram felicitatem conducere possit, sponte
praestemus et uere gaudeamus, si, exacto curriculo aca-
demico, discedant non modo exercitationes, sed prope muta-
tati, quem fructum ipse CICERO ex sua APPLICATIO-
NE AD MOLONEM, qui Rhodi in Gymnasio, eloquentiae
et aliis studiis clarissimo, docuit, cepisse gloriatur. Di-
cat CICERO^z: *Affiduisse mecum fuit Dionysius Magnes,
erat etiam Aeschylus Cnidius et Adramytenus Xenocles. Hi tum
in Asia Rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus,
Rhodum ueni, meque ad evndem, quem Romae audiueram,
MOLONEM APPLICAVI, cum actorem in ueris causis scripto-
remque praestantem, tum in notandis animaduertendisque uitiiis
et instituendo docendoque prudentissimum. Ita RECEPI ME
biennio post NON MODO EXERCITATIONES, SED PROPE
MVTATAVS.* Imo, quod maius est, LIBERALIS EXILII,

c 3

quod

^y) FRIDERICVS I. in Auth. Habita C. ne filius pro patre.^z) CICERO in Bruto cap. 91.

quod illi reipublicae commodo subeunt, PRAEMIA, nimirum uarios dignitatum et honorum gradus proponimus, hisque eos, qui ingenii praestantiam et copiam doctrinæ nobis comprobant, lubentissime ornamus.

SUPEREST, ut publice commendem institutum Clarissimi Candidati, CHRISTIANI FRIDERICI WETZKII, Aduocati immatriculati, qui se ad Ordinem nostrum applicauit et, ut aditum ad summos in utroque iure honores ei pararemus, modeste petiit. Nos quidem honestissimo huic desiderio, praestitis rite speciminibus, annuere non dubitauimus. Cursum uitae et studiorum suorum ipse delineauit hunc in modum :

Ego CHRISTIANVS FRIDERICVS WETZKE Mens. Septembr.
M DCC XLVII. a patre IOANNE PHILIPPO WETZKE, Coll.
III. Scholae oppidanæ, Cantore, Organico et Directore Chori Musici, cuius
mortem adhuc lugeo, e matre SOPHIA AVGVSTA FRIDERICA,
filia IOANNIS AVGVSTI SCHVBARTHII, quondam Chirurgi et
Oeconomi arcis Serenissimi Principis Anhalt-Seruestani Coswigae, suscepimus sumus,
Postquam ex institutione Praeceptorum scholæ huius urbis Du. Reectoris et Ord.
Phil. Adi. M. MESSERSCHMIDII, defuncti Conrectoris SCHMIDII, patris,
M. SCHUPELII, et rebus humanis erexit TISCHERI, et aliorum, quos
omnes adhuc veneror, religionis elementa, et omnia quae ad humanitatem
pertinent, hauſt, Mens. April. M DCC LXIV. ab Illustr. TRILLERO
tuic temporis fasces Academiae tenente, cuius insignem fauorem erga me, nun
quam

quam a me obliuioni tradendum, in numerum ciuium huius Academiae receptus sum. In studio academico, studio tam philosophico, quam iuridico omni contentione operam dedi, et non solum Celeb. HILLERI philosophicas, Excell. TITII physicas, et Illustr. RITTERI historicas et philosophicas scholas frequentauit, sed etiam in iure publico et privato Illustr. CHLADENIUM, KRAVSIVM, PAVLI, FISCHERVVM, WIESANDIVM, REINHARD, KLÜGELIVM, et HOMMELIVM, nec non D. SCHLOCKWERDERVM audiui, quos omnes aequali mentis obseruantia, aequalique honoris cultu nominatos esse volo, et ex illorum doctrina tantos percepi fructus, ut debitas grates nunquam me redditum probe intelligam. Silentio etiam praeterire non possum beneficia, quae ex clementia Serenissimi Electoris nostri, mihi in studio academico versanti electorali stipendio minore, et cursu studiorum feliciter peracto maiore iussas praefliterunt sollicitudinibus vacantes, quam clementiam decenti semper uenerabor animi devotione. Et ex gratia huius academiae et Senatus Patrum conscriptorum, beati WOLFRAMSDORFII et NEEFII, quorum munificentiam in conferendis stipendiis semper gratissima colam mente, excellentia in me redundarunt beneficia. Peractis laboribus academicis ab ordine ICTORUM Mens. Nouembr. M DCC LXVIII. ad examen pro praxi admissus et a celerrimo Electore in numerum Aduocatorum receptus sum. Etiam Dao. CHRIST. GOTHOFR. FRANCKIO, Iur. utr. D. Senat. Praet. urb. et Curiae Prou. et Confis. Aduoc. multum deboe', cum ex eo causas in foro perorare didici, cuius fidem et diligentiam effero publicis laudibus. Hactenus officio Aduocati haud infelici successu praefui, et ut haec res cum aliquo splendore felicius procedat tentamen quod vocant pro Candidatura sustinui, et a collegio iuridico, ut ad reliqua specimen, quae ab iis, qui licentiam summos in iure homines

nores

nores assumendi ambiunt, edenda sunt, admittere, reverenter petū. Nunc profectibus meis in examine rigoroso exploratis in eo sum ut ultimum specimen edam.

Postquam igitur Candidatus Clarissimus Collegio nostro iuris scientiam in utroque examine satis probauit, opus est, ut adhuc solenne doctrinae suae specimen edat. Fiet hoc die XXIX. Augosti, quo Dissertationem inaugaram, in qua disquiritur, quando accusatio contumaciae sit superflua aut frustranea, praesertim in foris Saxoniae, Praeside Viro Illustri, Excellentissimo atque Consultissimo, Domino GEORGIO FRIDERICO KRAVSIO, D. Codicis Professore Publico ordinario, Curiae Provincialis, Consistorii Ecclesiastici, Scabinatus et Facultatis Iuridicae Assessore, Collega meo honoratissimo, publice defendet; quam Panegyrin ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES CONSCRIPTI, OMNIVM ORDINVM DOCTORES ET ASSESSORES, NEC NON GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, honorifica sua praefentia ornare atque augere uelint, peroffciose rogo. Huius quidem benevolentiae memoriam nunquam ex animo dimittam. P. P. Domin. XII. P. F. Trinit.

A. R. S. cIo Ic ccLXXVI.



Wittenberg, Diss., 1774-76



3

f

5b.

B.I.G.



ORDINIS IVRIDICI

I N

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

EIVS DEMQVE

ORDINARIUS ET SENIOR
ERNESTVS MARTINVS
CHLADENIUS D

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CON
SILIIS AVLAE ET IVSTITIAE DECRETALIVM PROFESSOR
PVBLICVS CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CVRIAЕ
PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D